



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Seditiosi vnitatem bonam dissoluentes peccato mortali se obligant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

enim parum curat committere venialia (ita quod quum scit aliquid non esse morte, paruit facit incurre) sollicitus non est ad curam animæ suæ vt fructum reddat in tempore suo. Et propterea mirum non est si Angelica deest custodia ad præseruandum illum qui sibiipsum deesse paruipendit.

Scurra infames dicuntur, & per consequens vitiosi.

Scurrilitas (qua homo ad risum prouocat inuere. Scundè nō habita ratione dignitatis, locorum, temporum &c.) peccatum est: vtpote honestæ vrbانيتati opposita. Sunt autem huic negotio dediti quasi infames: & vocantur scurræ, ex scurrilitate viuentes. Qui verò opus hoc rarò exercent, licet peccet, ab infamiae tamen nota excusantur. Et quia scurrilitas non est mortalis ex suo genere, considerabis si admixtum habet aliquid contra dilectionem Dei aut proximi, ad hoc vt discernas si in aliquo casu est mortalis. nam ex sola tali admixtione potest effici mortalis.

Seditiosi vnitatem bonam dissoluentes peccato mortali se obligant.

Seditio (qua vnitas multitudinis dissoluitur discordantibus contra se inuicem partibus illius multitudinis) peccatum est mortale: vtpote contra pacem multitudinis vnitatem. Vnde seditiosi sunt non solum auctores discordiæ, sed etiam sequaces scindentes ciuitatem, regnum exercitum, aut etiam domum. Et si vtraque pars hoc malo gaudet (quia neutra ad commune bonum, sed proprium tendit) vtrique seditiosi sunt. Si verò vna ex parte conatus est ad commune bonum, & ideo resistunt seditiosis, non inuoluuntur seditionis vitio, sed tuentur laudabiliter commune bonum pugnando contra seditiosos.

Sicut

Sicut enim cum persona vna inuaditur, licet pugnare ad sui conseruationem illam, ita quum commune ciuitatis bonum præcipuum (quod est vnitas, pax, libertasque) inuaditur, aut inuasio præparatur à seditiosis, licet ciuitatis pars bona tueretur cõmune bonũ & præperando se & alios, & pugnando vt illam seruetur commune bonum.

*Capita tria circa simoniam
examinanda.*

Simoniam (hoc est emptio vel venditio spiritalis rei) peccatum est mortale: quia iniuriosa est religioni vilipendendo res spirituales dum pretio ponuntur. Vt autem clara casuum notitia habeatur, tria sunt capita pertractanda, scilicet res spiritalis, emptio vel venditio extrinseca & rursus emptio vel venditio interior seu mentalis tantum.

Circa caput primũ (quid appellatione rei spiritalis intelligatur in proposito (scito hic appellari rem spiritalem à spiritu sancto vt est spiritalis ratio vitæ quæ in Christo viuimus, sentimus, intelligimus, & operamur: in cuius signum simonia vitium est Ecclesiasticum non habens locum in prophanis.

Sunt autem res spirituales multis modis. Vel quia sunt merè spirituales: vt dona Dei gratuita quæ ad vitam Ecclesiæ spectant: virtutes gratiæ gratis datæ, potestas spiritalis tam ordinis quam iurisdictionis, sacramentalis effectus, ius spiritale quocumque etiam viuendi ex altari habendi decimas, beneficia Ecclesiastica, & similia. Vel quia sunt compositæ ex spiritali & corporali, sed formaliter ac principaliter sunt spirituales: vt sacramenta Ecclesiæ omnia, & similiter sacramentalia: vt consecrationes virginum benedictiones nubentium, Missæ, orationes vocales, Ecclesiasticus cultus, prædicare, oleum sanctum chrisma, Ec-